



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 95. Regina caussarum cognitionem sibi reservare studiosa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

mediis, non vero vindictæ ac privati **Secul. XVI.**
commodi studiis pertractentur. **A. C. 1524.**

§. XCV.

*Regina caussarum cognitionem sibi
reservare studiosa.*

Post hæc Parlamentum Selvæ Præsidi, & Veriuso Cancellario negotium dedit, ut Curia sententiam Reginae significarent, eamque de cunctis, quæ circa Senonensem Archiepiscopatum, & Abbatiam S. Benedicti ad Ligerim gesta fuissent, accurate edocerent. Regina audito amborum Magistratuum sermone reposuit, se utriusque causæ cognitionem sibi reservaturam, hancque in rem exploratæ probitatis Viros congregaturam, qui hoc negotium deciderent. Eodem tempore Cancellarius suam quoque indignationem adversus Curia sententiam utrique Deputato palam testabatur, simulque declarabat, petere se, ut pro injuriis, quibus in causa Archiepiscopatus, & Abbatia a Curia affectus esset, sibi satisfacerent, cum sat sibi perspectum esset, ejusmodi vexationes Parlamenti jussu intentatas fuisse, illudque nil ardentius moliri, quam Concordati abrogationem. His dictis Cancellarius acta & quæstiones adversus

M m 2

Sæcul. XVI. A.C. 1525 sus Curia Deputatos institutas ad supremum Senatum remitti curavit.

§. XCVI.

Parlamenti oppositio.

Die vigesima secunda Junii Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto Lifetus Regis Advocatus intellexerat, Hennequinum in supremo Senatu comparere jussum, quapropter pronunciabat, quod hic Vir ad hujus mandati executionem haud esset munitus auctoritate a Parlamento ipsi delegata, quamvis ad illud unice hujus causæ cognitio spectaret; præterea his addidit, Reginam equidem asseruisse, *velle se utriusque causæ cognitionem sibi reservare, hancque in rem exploratæ probitatis Viros advocare, qui hoc negotium disjdicarent,* sed tamen hæc res maximi momenti esset, & ponderis, atque ejusmodi agendi ratio ad ordinaria tribunalia penitus evertenda tenderet, nec ad Cancellarium pertineret hac in causâ judicium suum ferre, eoquod is Reginae esset convictor, ejusque domesticus, ut proin nec justitiæ nec æquitati congrueret, quod causarum, quæ Episcopatus & Abbatias concernunt, cognitio Parlamento auferatur, earumque judicium ad supremum Consilium remittatur.